VLTIMUS MEMORIÆ ET PIETATIS HONOR,

Quem

PIIS MANIBUS

OPTIMÆ SPEI JUVENIS

SAMUELIS BACHMANNI,

Illuſtris Gymn. Thor. Muſarum Cultoris induſtrii,

Omnium noſtrorum Oculis, præter ſpem, exſpectationemq;
Propinquis ac Commilitonibus ſuis abrepti,

Immaturum ita obitum, qui Ao. 1710. d. 2. Septembr.
accidebat, dolentes,

Dederunt

Supremæ Curiæ Auditores.

THORUNII,
Impreſſ. JOANNES NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNASII TYPOGR.



DVm subit mœstæ facies Thorunæ,
Quam gravi nondum satiata ludo
Sors premit, flamma & propiore claras
Inficit Vrbes.

Imbre manantes oculi liquescunt
Hinc novo luctu redeunte nobis,
Ipsa torpenti taciturna serpit
Lingva Palato.

Dulce solamen dolor est dolorum
Nunc malis mœstum satiare pectus,
O genæ! o dulces liquidos ocelli
Fundite rivos.

Nocte dum pulsa dubium resurgit
Lumen, ostendens morientûm acervos,
Vrbe cum tota viduat colonos
Noxia pestis.

Imminet sors hæc miseranda cunctis,
Nec malo sexus vacat hoc, nec ætas
Vlla, sed jungit senibus potenter
Sæpe tenellos.

Surgit hinc semper nova pompa morti,
Longus ad tumbam properatur ordo
Agminis mœsti, seriesque tristis
Langvet, & hæret.

Proh

Proh novi lethi faciem stupendam!
Langvor ignavus ligat, occupatque
Membra, & hinc fœdus vapor urit ipsam
Corporis arcem.

Vidimus nos hæc, nimium dolentes
Fata Bachmanni, meliora qui jam
Gaudia in Cœlis capit, atque ridet
Quæ tenet Orbis.

Namque Cœlestes modo gestienti
Suggerit plenas tuba sancta voces,
Nil graves curat residens Olympo
Ille dolores.

Non nocet salvo vaga per medullas
Flamma, non pestis violenta, namque
Talis egestos glomerat vapores
Lemnia fornax.

Ridet is cladem, mala quoque mortis,
Ridet & pestis furias minaces,
Lucidum Cœli decus, & beata
Lumina spectans.

I, dolor, ventis equita caducis
Namque ego Cœli genus hic manebo:
Altior terris ego sum, polosque
Pectore claudo.

Sic Dei proles, amor, & Voluptas,
Nunc pio felix ovat in triumpho,
Ad Choros Cœlorum oculos reflectens
Somnia ludit.

Ergo solvenda est satiata curis
Mens malis, tandem lacrymæ dolentum,
Me Patrem rerum juvat & beatas
Cernere sedes.

Ecce

Ecce tam parvi pretium doloris
Templa ſtellantis referunt Olympi,
Amplius non me premit his in oris
Anxia cura.
Pergite, & nobis, ait ille, Amici,
Queis grave eſt pectus Pietatis almæ,
Pergite, & curſu properate ad alta
Atria Cœli.
Monſtra quid proſunt gravium dolorum?
Quid faces diræ ſcelerum? ſurores
Quid juvant? ſæpe ab revocant beatos
Tramite recto.
Hic coruſcantes radios ſereni
Luminis libant, pia corda quorum
Hac ſiti flagrant, ſovet ardor omnes,
Entheus illos.
Ergo qui deſungere flore primo,
Ac Deo ſvaves tribuis Parenti
Sic opes, longos numerabis Annos
Luſtraque vitæ.
Sic vices triſtes removere mortis,
Sic potes nexus ſuperare vitæ,
Vincere ac felix mala cuncta, poſthæc
Scandere Cœlos.

